

1723 120w 6.

DISPOSITIONVM
IVRIS DIVINI POSITIVI
DE
INCESTV
FVNDAMENTA
EX SANA RATIONE PETI-
TA ET PETENDA (2)

EXHIBET,

AC LECTIONES SVAS HIBERNAS

INDICAT

DAN. FRIDER. HOHEISEL,

J. & P. D.



HALAE MAGDEB.
TYPIS ET SVMP TIBVS HENDELIANIS.

1723.

DISPOSITIVUM
ARTIS DIVINI POSITIVI

INCESTV

FUNDAMENTA

LEX SANA RATIONE PETIT
IN ET PETENDA



LECTIO SV
UNIVERSITATIS

DANFRIEDER ROHRSCH

HALLÆ MDCCLXX
JULIO DE TYPIS HALLENSIB.



SVB AVSPICIIS
RERVM OMNIVM MODERATORIS
DEI T. O. T. M.

DOMINO
IOHANNI IACOBO
SCHELLERO

SERENISSIMI S. R. G. I. PRINCIPIS
SONDERSHVSA SCHVVARTZBVRGICI
CONSILIARIO AVLICO ET CAMERALI
LONGE SPECTATISSIMO

PARENTI OPTIMO.

*SANCTA PIETATIS LEGE AETERNVM
COLENDO,*



HASCE
MEDITATIONES INAUGVRALES
IN
GRATISSIMAE MENTIS
DOCUMENTVM
CVM ARDENTI VOTO
PERPETVAE INCOLVMITATIS
ATQVE
PROSPERRIMAE FELICITATIS

DAT DICAT CONSECRAT

FILIUS OBSEQVENTISSIMVS

IOHANNES SIGISMVNDVS SCHELLER.



CONSPECTVS PROGRAMMATIS.

Doctrina hec tam difficilis non est, uti Grotius & Pufend. putarunt §. I. ILLUSTR. DN. THOM. sententia §. II. Ad nuptias stimulamur pruritu concumbendi, qui est indifferens. §. III (Removentur dubia) §. IV. Et nobis a Deo inditus, ut genus humanum sit diuturnum. §. V. Hic autem finis obtineri non potest sine educatione. §. VI. Nec educatio sine imperio & obsequio. §. VII. Nec obsequium, si parentes concumbant cum liberis nondum educatis, imo si spem tantum habeant aliquando concumbendi. Ergo incestus inter parentes & lib. est contra Jus N. §. VIII. Accedit & in adultis liberis imparitas annorum, que ratio in avo & adscendentibus ulterioribus adhuc magis stringit. An

usque in infinitum? §. IX. Sic quoque interdum quando respectus parentela adest, spes suscipienda sobolis deficit. Ubi singularis de diversitate rationis inter patruum & amitam &c. sententia, rejecta communi de imperio in uxorem. §. X. Respondetur ad objectiones. Imprimis de matrimonio veterum cum juvenibus differitur. §. XI. Transito ad incestum inter fratres & sor. Supprimenda est voluptas, que exui nequit. Quomodo hec duo differant. §. XII. In fratribus & sororibus suppressio perquam difficilis. §. XIII. Ergo mediantibus legibus obex ponendus est. §. XIV. Resutantur objectiones. §. XV. Prohibitiones he Principes quoque obstringunt. §. XVI. Conclusio.

§. I.



Rduam multisque difficultatibus involutam meditationem esse, qua de excogitandis illiciti incestus fundamentis, e rectæ rationis dictamine petitis, solliciti sumus, nisi cum *Grotio Pufendorffius* fuisset confessus, ego quidem non monerem, ne præsens qualiscunque pertractatio circumforaneos quosdam clamores statim ab initio præferre videretur: Et imo, ut pateat quantum ab ejusmodi artibus sim alienus, contendo potius, post jacta jam ab aliis fundamenta, doctrinam hanc intellectu facillimam esse.

§. II.

Equidem ostendit jam *ILLVSTR. DN. THOM. in Jprud. div. Lib. III. c. 3. §. 222-245.* communia Juris N. scriptorum argumenta, quibus incestum sanæ rationi repugnare evincere laborant, exigui roboris esse: *IDEM* tamen postea in *Fundam. J. N. III. II. 38. seqq.* principia justî, honesti & decori probe hic separanda esse docuit, & tandem in *§. ult.* (recent. edit.) ulteriori meditationi commendat conjecturam de societate matrimoniali non simpliciter & abstrahendo a societate quæ parentes inter & liberos est, sed cum hac potius conjunctim consideranda: cui paulo curatius intentus, absque difficultate turpitudinem incestus ejusque a vita sociali aberrationem memet perspexisse mihi videor. Meretur citatus *§. legi & relegi*, quem quidem hic apponere supervacaneum censo, cum *Fundamenta* ista in omnium manibus sint, & in iis quoque eorum sciniis merito afferrentur, quæ non legendos libros, sed lectitandos capiunt.

§. III.

Ut rem ab initio repetam, neminem negaturum confido, omnes omnino nuptias, tam legitimas quam incestuosas, aut ex alto etiam capite illicitas, a stimulo coeundi, nobis insitorem
lem

lem suam repetere originem. Stimuli hujus nomine intelligo pruritus istum, quo omnis generis animalia ad congressum cum altero sexu feruntur. Pruritus hunc animale, i. e. omnibus animalibus natura insitum esse, nemo, cui saltem oculorum usus integer contigit, inficias ibit. Et sane edoceat nos physici, pruritus istum magna ex parte mechanicum, cumque natura corporis animalis adulti atque illius sanitate tam arte conjunctum esse, uti appetitum quo ad cibum potumque animalia feruntur. Cum autem natura auctor sit DEVS, ab ipso summo creatore hanc conjunctionem provenisse facile patet; ex quo simul elucet, pruritus hunc in se spectatum nihil vitii habere, nisi concesseris & DEVM causam esse peccati, & animalia bruta (muscas etiam) peccare; quorum utrumque inconcinnum videtur.

§. IV.

Incitatur quidem ab hoc concumbendi pruritu ad actiones indecoras æque ac injustas; ad læsionem juris alieni; ad adulteria &c. turbatur ab eo animi nostri tranquillitas: Sed vero omnia hæc de pruritu edendi bibendique pariter dici possunt, nam nec ejus qui fame sitive premitur tranquillus est animus; idem ille appetitus nos ad actiones indecoras impellit, aut saltem ejus est occasio; efficit, ut temperantiæ cancellos transgressi, vino ciboque impleamur, ebrietatem, morbos contrahamus, & sic porro: Quæ tamen omnia non a modico cibi potusque usu, sed ab abusu repetenda sunt, & idem de congregiendi pruritu sentiendum esse inferius evincemus. Si porro urferis, in statu satiatiæ libidinis poenitentiam sentiri; Ergo factum indecorum præcessisse: plurima sunt quæ reponam. Nam 1) communis traditio de omnibus animalibus id narrat: Ergo & brutorum libido indecora erit; 2) Non id universaliter verum videtur, neque enim a me impetrare possum ut credam; maritum, cum legitima uxore sua, quam amat, modice concumbentem, poenitentia postmodum adfici; Nec 3) poenitentia cum defectu ulterioris stimuli confundenda est, eadem enim hic iterum in appetitione cibi ac potus occurrit ratio; quia *satietas parit fastidium*. Cœterum

terum 4) si illicito modo exfatiata libido fuerit, pœnitentiam subseq̄ui facile concedo : Sed tunc non ipse pruritus, sed illegitima ejus ref̄lectio pœnitentiæ fons & origo erit ; Quin imo 5) interdum ex alio proveniet adfectu, ambitione nimirum aut avaritia, quo casu tamen ipsa pœnitentia æque ac coëundi stimulus peccatum erit Deo invisum. Sed, instas, peropportune ambitionis ac avaritiæ injecisti mentionem, & est sane *utraque homini æque naturalis* ac libido : Ergone & illas indifferentes credis? Ego minime, qui tamen præsuppositum tuum nego ac pernego. Equidem id ex instituto discutere, atque in ambitionis ac avaritiæ originem inquirere hujus loci non est, sed alii id reservo occasione : Interim hac vice sufficiat regerere 1) ut me, quæso, doceas, num tibi concipere possis avaritiam sine idea rerum extra nos constitutarum ac recipiendi dominii capacium? si id nequis, evincas mihi porro, quomodo harum rerum avaro homini idea innata esse queat? Quodsi obtabit illud : *nihil est (saltem rerum extra nos deprehensarum) in intellectu, quod non antea fuerit in sensibus externis*, tunc demum a te clarissime intellectum iri spero, nobis avaritiam innatam non esse. 2) Postulo mihi dari, stimulum concumbendi, quem supra §. 3. definivimus, omnibus animalibus insitum esse : ast ambitio atque avaritia in brutis non conspicitur, ergo hæ non ita naturales erunt, uti quidem ille, multo minus autem cum conditione corporis animalis sani, integri, adulti tam arctè cohærent, ut libido, fames ac sitis.

§. V.

Clarius adhuc patescit pruritus coëundi ab ipso creatore nobis cœterisque animalibus implantatum esse, si consideremus sapientem istum circa ipsam generationem causarum nexum. Certis enim animalculis solummodo insitus est cum altero sese uniendi sexu stimulus ; sequitur conceptio, ponuntur ovula, quo facto, mater de illis amplius sollicita non est, ab ipso solis calore suo tempore excludendis. Quodsi autem huic operi solaris calor impar sit, indidit natura matribus pruritus aliquem

quem ovis suis incumbendi, & tali modo exclusis pullis tam diu pabulum præbendi, donec id ipsimet quærere possint; eandemque istam *εργον* masculis interdum implantavit, si unica exigua avis aliquot pullis alendis non sufficeret: quin imo si recens editi pulli segetibus statim vesci nequeant, (uti quadrupedum) matribus de uberibus prospexit, lactandique foetum suum indidit lubricitatem. Quæ omnia si pervidemus, majori quam demonstrativa certitudine atque evidentia concludimus, ipsum concumbendi pruritus non alium in finem animalibus a Deo inditum esse, quam ut genus eorum diutissime subsisteret. Ergo & homini pruritus se uniendi cum altero sexu implantatus est, *ut humanum genus gaudeat diuturnitate.*

§. VI.

Jam intellectu facillimum est, quomodo *libido* hæc naturalis in *voluptatem* vitiosam degenerare queat; eadem nempe ratione, qua innoxius cœteroquin edendi bibendique appetitus vitii maculam contrahit, quod fit *quando gratum illud, omnibus hisce actionibus naturalibus a Deo annexum, appetitur sine respectu ad finem a Deo intentum.* Bruta certe omnis voluptatis sunt expertia, pruritus enim apud illos manet naturalis, instinctum (magna ex parte mechanicum) sequuntur, utpote quibus fines Dei perspicere datum non est. At ratio hac in parte homines a brutis, invitos forte, & qui id ignorare malent; sed distinguit, at rationis neglectus hisce reddit deteriores. Sponte enim sua bruta id præstare, ut genus ipsorum propagetur §. præc. modo ostensum: Ad humani autem generis diuturnitatem promovendam sola parentum cura liberis tam diu impensa, donec incedere ac cibos capere a nemine adjuti queant, non sufficit, adolescerent enim fortassis, non autem homines, sed monstra potius humana evaderent, orbis damno. Cum enim ipsius rationis usus, brutis animalibus negatus, efficiat, ut non solum homo homini miris infinitisque modis nocere queat, sed & quisque sibimet ipsi damnnum inferat, si pravas sequatur passiones, ratione sua ita usus,

fus, ut mediante ea media subinde excogitet, inserviendis cupiditatibus suis apta; facile liquet, tali modo non eventurum, ut humanum genus exoptata fruatur diuturnitate. Ex quo consequitur, eosdem illos qui sobolem procreant, ad *educationem* ejusdem teneri, i. e. non ad alimenta tantum subministranda: verum potissimum ad formandum ejus intellectum æque ac voluntatem, ut a primis statim unguiculis ejusmodi imbuatur præceptis, talibus adfuefiat actionibus, quæ ab homine vitæ socialis studioso, ad inserviendum aliis apto, atque humanæ gentis membro utili expectantur.

§. VII.

Non autem formari potest juvenus, non redigi in ordinem, uno verbo: *educatio* obtentu est impossibilis, nisi *imperium* parentibus competat, atque huic correspondeat liberorum *obediencia*. Inde est, cur liberi jubeantur parentes *obsequio* prosequi, complecti *eneratione*, ut scilicet utilia reddantur societatis humanæ ac civilis membra, & tali modo ipsorum hujus ævi salus promoveatur. Habes hic rationem a revelatione ne latum quidem unguem recedentem, quod enim *primum APOSTOLUS præceptum* appellat, *promissa felicitate munitum*, idem illud & primum, & ipsorum liberorum utilitatem directo intendens, præscribit ratio: cum e contrario reliqua omnia & adultiores potissimum obstringant, & ista immediatæ felicitatis spe destituantur. Nec est quod huic imperio eique appposito obsequio renunciare parentes posse existimes, non enim id imperium pro parentibus, sed in gratiam potius liberorum est introductum. Hinc & comminationis divinæ, qua patrum delicta usque ad tertiam & quartam generationem ulturum se proficetur DEUS, liquet ratio: nisi enim parentes exemplo atque institutionibus lubricam istam atque (ut ita loquar) ceream liberorum ætatem flectant, quid aliud evadere potest, quam mali corvi malum ovum?

§. VIII.

§. VIII.

Aut vehementer deceptus sum, aut meridiana luce clari-
us' ex dictis elucescit, parentes a nefando cum liberis concubi-
tu, quamdiu educatio nondum est obtenta, vel solius rationis
dictamine præeunte, arceri. Ast, excipies, tunc saltem ipsi
licebit matrimonium contrahere cum liberis, postquam edu-
catio jam est obtenta. Sed vero dispicias, quæso, nonne vel
ipsa spes futuri amplexus imperio, obsequii exactioni, casti-
gationi, atque increpationi, quæ tamen apprime necessaria
sunt, e diametro repugnet? si negas id ipsum, non tales tibi
concupis homines quales sunt, sed quales in *Stoicorum* cere-
bro, ore, scriptis, præterea nusquam deprehenduntur. Un-
de &, nisi me omnia fallunt, factum est, ut nonnulli e *Stoi-*
corum schola matrimonia isthæc licita reputarent, nescio
quam ἀνάθεμα, humana sorte superiorem, in sapiente sibi
suo imaginati.

§. IX.

Accedit & alia eademque magni momenti ratio, dispa-
ritas nempe annorum. Quodsi enim jam adultos & regendæ
familiæ idoneos liberos supponas, ipse iudices, velim, num
sperandum sit, ut pater filiæ suæ restinguere libidinem per
longum annorum decursum queat, & nonne potius id sit e-
venturum, ut filia per viginti & aliquot annos amoris inquie-
tetur œstro, frustra a patre expectans medelam: Cogita,
quæso, an filius matrem ducens, quæ tot annis eum superat,
liberos ex ea sit procreaturus, quod cum vix (nisi una forte
alterave vice) eventurum sperari queat, sedum huncce at-
que abominandum concubitum fini matrimonii repugnare
evidentissime intelligitur. Quam modo allegavi, ratio magis
adhuc stringit in matrimonio, vel potius matrimonii simu-
lacro cum nepte aut nepote, & sic porro, contrahendo. Tu
quæres forte cum nonnullis: an id in infinitum usque pro-
cedat, ita ut si Adamus, terris hisce restitutus, uxorem quæ-
ret, nullam posset invenire? Paucissimis regero: autumnali
B hocce

hocce tempore istam præposteram quæstionem esse, quæ canicularibus diebus propolita, aut veniam, aut miserationem (si non catenas & vincula) mereretur.

§. X.

Ad eandem quoque *annorum imparitatem & procreandæ sobolis deficientem spem* in prohibitione nuptiarum cum quibusdam personis, in quibus respectus parentelæ occurrit, DEVS respexisse videtur *Levit. XVIII. 12. 13. item XX. 19.* Equidem *respectus parentelæ* vocabulum nusquam in sacra pagina occurrit, & per rerum naturam occurrere nequit, est enim hic terminus philosophicus, qui ne alio quidem idiomate quam Latino exprimi potest: Sufficit autem earum personarum fieri mentionem, in quibus respectus parentelæ deprehenditur, qui nihil aliud est, quam *species consanguinitatis, in iis collateralibus occurrens, qui invicem considerati, inæquali generationum numero a communi stirpe distant.* Notatu dignissimum est, non omnium ejusmodi collateralium matrimonia a DEO improbari, sed earum tantum, ubi *femina* communi stirpi *propior* est quam masculus. Sic a matrimonio cum *amita & matertera* arcentur mares, cum econtrario patruo nubere aut avunculo feminis interdictum non sit, & tamen iterum patroi viduam ducere masculus prohibeatur *Lev. XVIII. 14. & XX. 20.* ubi in textu posteriori adjicitur: *eos sine liberis mori debere.* Neque enim sobolis procreatio sperari potest si vetula viro juveni nubat. Noto quippe notius est, citius foetum excludendi aptitudinem in foeminis deficere, quam generandi potentiam in masculis. Atque isthæc quidem diversitatis ratio melior videtur, quam quæ de imperio in uxorem vulgo adfertur: Macilentum enim istud imperium esse, nemo nisi lippus non videt, qui arctissimæ & blandæ conjugum conjunctioni violentum aliquod imperium, imo vel cum sola increpatione conjunctum, e diametro repugnare perspicit. Ei nimirum omnino prærogativam quandam in administranda familia deberi ipsa ratio loquitur, qui altero est prudent-

prudentior : jam vero cum major intellectum excolendi maculis occasio sit , quam sequiori sexui , illis omnino regulariter primas in regimine familiæ demandari partes convenit , sed tota res eo redibit , ut uxor potius mariti , quam hic illius *consilia* sequatur & monita , quæ ab *imperatis* multis parafangis distant . Equidem Adamus Evæ , Abraham Saræ dominus vocatur , sed (ut de ambiguo domini conceptu nihil dicam , nec id urgeam , hic procul dubio adfuisse rationem modo allegatam) uterque horum civili imperante destitutus , regiminis cujusdam civilis speciem præ se ferebat .

§. XI.

Sed facile prævideo hætenus deducta non sine stomacho lectum iri . Quidni enim , objicient , si imparitas annorum matrimonii libertatem circumscribit , nonne eadem in extraneis personis aderit ratio ? Atque ingenue fateor , multis matrimonia hæc abusibus ac adulteriis ansam suppeditare : interim tamen illicita omnia declarari nequeunt . Si enim v. gr. senex , etiam decrepitus , foeminam juvenem , dono continentia præditam , forte liberorum suorum educandorum aut adjuutorii sibi præstandi gratia ducat , non quidem id matrimonium erit , sed tamen *societas* quædam *licita* & minime indecora , quæ saltem mediante copula sacerdotali pallio matrimonii erit involuta , ad effectus quosdam civiles , imprimis ratione successionis eo *certius* producendos ; Paucis : contractus mixtus erit ex *societate* & matrimonio , cui suppositis iis , quarum mentionem feci , similibusve circumstantiis , nihil in erit iniqui : si tamen vetula viro juveni nubat , paulo aliter rationes subducendæ videntur ; interim fieri potest , ut tunc quoque *societas* simplex magis occurrat quam matrimonium , unde isthæc matrimonia adhuc conscientis civium relinquere potest imperans civilis . Nullum tamen est dubium , si frequenter paulo in republica occurrerent , legibus prohibitivis opus esse . Et jam habes rationem , cur de personis , ejusmodi sanguinis nexu junctis , disposuerit DEUS . Nullum quippe
B 2. est

est dubium, cum inter illas continua sit conversatio, commercium, & consequenter persuadendi frequens occasio, hic maxime omnium abusuam frequentiam esse metuentam. Porro objicies, non semper fieri, ut patris tui matrisve soror a te multis annis distet, adeoque leges hic universales ferendas non esse. Sed defines id urgere, ubi intellexeris, a prudente legislatore ad id quod plurimum fieri solet, respici. Quodsi autem allegata prohibitionis ratio cesset, tunc sane concederem, dispensationem hic locum habere posse, nisi adhuc obstaret *scandali* aliis dandi ratio. Reliqua quæ moveri possent dubia, tum ob levitatem, tum brevitatis studio, tum quia explosa jam aliis, lubens prætereo.

§. XII.

De incestu potius inter fratres & sorores adhuc agendum, qua prohibitionem divinam nihil excogitari sapientius, nihil reipublicæ cuiusvis, societatiq̃ humanæ magis conducens fanciri potuisse, penitus persuasum habeo. Prouti enim vitæ nostræ præsentis, imo & futuræ miseria maximam partem a male formata voluntate, ab affectuum intemperie derivanda est: ita emendationi cordis, tantorum malorum seaturiginis studere, cujusvis est hominis. Equidem affectus exuere humanæ sorti est impervium, suppressere autem eos omnino rationis est opus. Ergo & voluptatis aculei hebetandi sunt ac retundendi, cum evelli nequeant penitus ac extorqueri. Scire cupis, quid differat a suppressione extirpatio? statim dicam: Non appetenda, per demonstrata superius, grata sensuum perceptio sine respectu ad finem a DEO intentum. Ergo non ita restringenda libido, ut id fiat cum læsione aliorum: Ergo quamdiu quis familiæ instruendæ & procreandæ atque educandæ soboli impar est, penitus resistendum concumbendi stimulis: Denique si hanc capacitatem indulgeat ætas, adhuc ita restringendi sunt, quantum sanitatis ratio suadet, & ne excitentur magis quam suppressantur, quod posterius imprimis personarum variatio operatur.

§. XIII.

Sunt hæc officia boni hominis ac civis, quibus neglectis non possunt non pigri atque ad beneficiendum inepti homines evadere. Sed id quomodo evitabitur? Profecto non voto castitatis, non fuga alterius sexus, sed hoc unico medio, si ipso usu atque exercitio effectum fuerit, ut discant homines objectum passionis suæ æquo animo ac sine irritatione se circum videre & perferre. Prouti autem in juventute difficillimum est Venereis resistere uestionibus, & eodem autem tempore id maxime omnium est necessarium: ita tunc imprimis media undecunque conquirenda atque anxie amplectenda sunt, ne huic passioni in tenera statim ætate succumbamus, ac tali modo, quæ hactenus nobis connata erat dispositio indifferens, in vitiosum abeat habitum, & eundo vim acquirat. Atque affectum quidem affectu impugnare, non usque adeo est difficile: istam autem suppressere passionem, cui explendæ continua adest occasio, cui nullus alius affectus repugnat, hoc opus, hic labor est. Et in tam periculoso quidem statu constituti sunt fratres ac sorores. Ipsa nimirum nativitas atque a parentibus obtinenda educatio, necessitatem quandam in una familia eademque domo commorandi ipsis imposuit. Alter igitur alteri continuo esset libidinis incitamento; quæ nec contemplatione vilioris fortis, par enim utriusque nascendi conditio; nec fuga, hæc enim incommoda foret parentibus; nec occasionis defectu, talis enim identidem sese offerret; nec populationis metu, clancularii enim forent amplexus, reprimi posset ac cohiberi. Ad hæc rationis monita, quæ adultioris ætatis homines facilius movent, in tenera ista ætate, qua presentia potius quam futura expendimus, exigui imo nullius forent fructus, ac refrigerandis juvenum animis, voluptatis actu incensis, non satis idonea.

§. XIV.

Ergo si liciti fratrum ac sororum forent amplexus, & mediante matrimonio purgare vitium possent, id eveniret, ut nemo supprimendæ voluptati studeret aut advesfieret, sed potius uterque sexus nefario conatu a prima statim adolescentia alter in alterum rueret, atque adeo finis a DEO per inditum nobis coëundi pruritus intentus, insuper haberetur. Quo autem magis reipublicæ, imo humani generis interest, finem istum obtineri, eo apertius prudentiæ legislatoriæ, & quidem *universali* i. e. ad omnes respublicas applicabili congruit, fratrum & sororum amores illicitos declarare, eosdemque ab his arcere, quod aliter fieri nequit, quam matrimonio ipsis invicem non concessio. Unde jam colligo, legis istius diviniæ positivæ, qua hæ conjunctiones damnantur, universalem esse ac perpetuam obligationem.

§. XV.

Ast vero, inquis, non talem ego licitum amplexum censeo, qui ad scortationem propius, quam ad matrimonium accedit: Quid autem, si fratres & sorores hætenus ab omni amore venereo alieni atque immunes vixerint, & jam postquam subeundis matrimonii oneribus pares facti sunt, matrimonium invicem inire recenter in animum inducant, quid tunc illis obstabit? Id unicum quod §. VIII. dictum est, & hic repetere supervacaneum foret. Sed, instas, tali modo ab omni matrimonio cum iis personis ineundo, quibuscum a tenera ætate continuum est commercium, arcendi erimus. Non autem difficilis est responsio: Si altera persona adulta sit, par merus non subest; si sit ancilla, ambitio libidini bellum indicabit; denique non eadem est cum aliis personis a prima ætate conversandi necessitas, sed extraneæ facile domo expelli a parentibus possunt, si quid ab iis periculi imminet liberis. In *comprivignis* quidem par ratio videtur, qui tamen matrimo-
nio

nio jungi nullo jure prohibentur. Sed veroprouti his ab initio nihil obstat, ita paulo durior dispositio foret, si factum parentum superveniens ipsis nocere deberet; unde id legislatores parentum curæ unice committunt, ut, qui tale matrimonium inire decreverint, paulo curatius liberos suos observent, quorum educationem ipsis tantopere a DEO commendatam esse, non intelligere, sed palpare possunt.

§. XVI.

Id unicum adhuc quæri posset: An hisce divinis sanctionibus *Principes* quoque obstricti debeant vivere? De quo ego quidem nullus dubito, nam & hi finem matrimonii intendere debent: hi quoque sollicitè educandi sunt, eo curatius, quo majus a bonis eorum moribus reipublicæ commodum imminet; a malis damnum: Hi denique suppressioni passionum suarum & in specie voluptatis, hoc magis studere debent, quo plura iis per potentiam licent, si libent, & quo evidentius est, bonum Principem a tyranno non sola crudelitate, sed eo potissimum distingui, quod ille salutem reipublicæ, hic vitiosorum affectuum exsatiationem finem sui sibi regiminis habeat præfixum. Essent hæc fusius deducenda, sed manum de tabula! Id enim, quod caput rei est, adhuc agendum restat. VOBIS nimirum,

GENEROSI, NOBILISSIMI, CLARISSIMI DOMINI COMMILITONES,

indicandum censui, quomodo scholas meas hibernas sim instructurus:

Et ab *Hora* quidem *X. ad XI.* ipsum textum *Institutionum Justinianearum* explicabo, singulisque Saturni diebus, quæ maxime notatu digna in antecedentibus quinque lectionibus occurrerunt, *examinando* repetam:

Ab

Ab Hora XI. XII. Pufendorffium de Officio hominis & civis, TITH observationibus illustratum, præmissa succincta J. N. historia ;

A meridie autem Hora III. ad IViam ILLUSTRIS DNI. GVNDLINGII Logicam, methodo (ut consuevi) pragmatica, adjectisque, ubi necesse est, meis positionibus, VOBIScam communicandis, exponam :

Denique nonnullorum petitis motus, ab Hora IV. V. Collegio disputatorio vacabo, & præceptis antea traditis, quæ habentur in ILLUSTR. DNI. BOEHMERI *manuduct. ad methodum disputandi*, subjunctas ex vario Jure theses (cum selectu tamen quodam) ventilationibus quotidianis subjiciam.

Quodsi tamen quidam vel *Sirvii Jurispr. forensis*, vel DNI BOEHMERI *Pandectas* a me explicari præoptaverint, facile a me impetratu erit, ut collegia hæc in locum hic indicatorum surrogem, dummodo mature fuerim monitus.

De Initio lectionum mearum speciali schedula VOS certiores faciam. DEUS autem omnia feliciter cedere jubeat. Valete. Dab. Halæ Magdeb. d. 2. Octobr. 1723.



ULB Halle

001 618 954

3



sb





1723
~~122~~ 6.

DISPOSITIONVM
IVRIS DIVINI POSITIVI

DE

INCESTV

FVNDAMENTA

EX SANA RATIONE PETI-
TA ET PETENDA (2)

EXHIBET,

AC LECTIONES SVAS HIBERNAS

INDICAT

DAN. FRIDER. HOHEISEL,

J. & P. D.



HALAE MAGDEB.

TYPIS ET SVMP TIBVS HENDELIANIS.

1723.

